

VIR, AVVS, NEPOS, CANIS ET SEPVLCRVM

Aliquando alicubi vir vixit.

Mas quoque vel calo appellari potest, esto ut libet. Egomet tamen eum virum nuncupo. Hic ergo vir furari solebat. Tantum spoliavit, quantum potuit; ubi licebat, ibi surripiebat; praesertim esuriens.

Ave canente, hordeo maturescente, sole splendente, dormiebat vir in silva tenebrante. Interdiu noctuque cubuit, nam crapulam edormire studuit. Cum vero frigus intolerabile passus proficisci concuperet, surrexit. At vacuus ei venter crepitat! Potione sitis depellenda est! „Quo modo sitim levem, si mihi pecunia deest? Utinam cupiditatem bibendi eximam!

Quin nunc furer? Nox minime exspectanda.“ Ergo iit.

Nec consistet, donec saepes conspexerit, in quibus scribitur: Cave canem!

„Cave canem – hoc mihi timendum sit? Nullo pacto!“ Immo ultro eo spoliatum currit.

At canis adest. Canis malus. Canis pessumus. Canis vero diabolicus!

Cum primum vir intraverat, canis ululans ibi aderat. Quamquam erus dormiebat, cane identidem latrante atque vociferante de lecto exivit telaque rapuit.

„Tene eum, morde eum, neca eum!“ Confusio, clamores, strepitus ubique oriuntur. Vir fugere vult nec potest, nam obstant cum canis tum erus, senex iratus: „Vae tibi! Qui audes hic furari?!“ Itaque virum statim aggressus non senex sed potius iuvenis rixatur.

Attamen vir multo et aetate et viribus validior vicit, senem fessum percussurus, cum canis maledictus raptim adest virum dente petiturus. Digitus est perditus! Quem priusquam canis devoraret, priusquam senex animum colligeret, vir hypogaeum petiit, cuius apud introitum gradus pulcher invenitur, in quo virga iacebat. Non est virga sed baculum! Avus ille adhuc pugnantem baculo est pulsatus, multumque verberatus, denique arietatus.

Canis autem porro rapit sive manum, sive pugnam, immo in guttur impetum facere vult viri miselli, qui sudat, sanguinem fundit et foras se eicere optat. Etsi avus cecidit, nepos tamen, puer potius quam adultus, hortum intrat et scire cupit: „Quis hic spoliare in animo habuit et ubinam avus meus est?“ Eodem autem tempore vir iam in parte horti postica fuit, apud stabulum, ubi repente in equum ascendit, qui facile saepes transiluit. Tunc nepos haud cunctans manuballistam suam ignivomam extraxit...BANG! BANG!

Vir gemit, equus pedes priores erexit, nec currere tamen perrexit.

Cum senex surrexit mirum in modum vivus et salvus viro equoque abeuntibus, tunc nepos clamavit: „Ecce!“ quod cum verbum protulisset, equus in vado constitit et tremuit, dein cucurrit et iterum constitit et denique mortuus cecidit. Vir autem sub eo iacet. Nunc tamen elapsus silvam densam petit, ut sibi refugium det.

„Sine eum currere“ inquit avus, „Cui nostrum regio notior est? „Quis nostrum hic natus? Nunc vero ventrem ego potione, canis osse onerare optamus.“ His auditis nepos temetum iunipereum apportavit.

„Sumas canem et baculum et venias,“ ait avus et crepuit lingua. „Hem, bibe et tu!“ Nepos igitur sibilo canem advocans profectus est.

Vir sub tegmine fagi recubuit defatigatus. Nam caballus mortem obivit, canis digitum carpsit et sclopetum spiritum abstulit. At non solum spiritum, sed etiam sanguinem ex corpore. „Heu sclopetum maledictum, quod fulguri simile me vulneravit!“ Pergere ire optat nec valet, vir viribus caret, pallet, languescit, timet, desperat.

Genua inclinavit surgere enitens, miser, sed delapsus denuo in arborem in terram rursus decidit. Serpenti similis serpsit muscum callunamque carpens ac corpus infelix pullulatim trahens. De hac re non est disputandum: „Actum est de me!“ Suntque oculis tenebrae per tantum lumen obortae, auribus quoque captus sit, prematur etiam doloribus acerrimis

corporis. „Hoc displicet, terret! Caelum volo, non terram; lucem, non umbram. Umbra mala est, umbra est mors!

...Nondum, nolo obdormire! Somnus me vehementer urget - dies, nox, dies. Quid est? Nunc tamen aliquantulum convalui! Utinam tempus mihi esset et panis, sal, potio...

Viverem...melius viverem...“

Canis latrat.

Vox auditur senis: „Sanguinem olfacit! Sequere eum!“

„Quo tendit?“ interrogat puer.

„Illuc, ad quercum illam!“

Ibi iacebat vir. Supra eum stabant avus, nepos, canis.

„Est ille,“ inquit senex graviter suspirans, „Pessime eum tractasti, re vera...“

„Qua de causa apud nos spoliabat?“

„Fortasse famelicus erat, fortasse comedere tantummodo volebat.“

„Iste? Temulentus, bibax, furcifer est!“

„Cur irasceris? Sero est, haud multa nobis dicet. Eamus.“

„Quid de eo?“

„Iam nihil.“

FINIS

P. S. Nepoti illi fuit nomen Cornelius :)